







1730, 25

26

FACULTATIS JURIDICÆ  
P. T.  
DECANVS,  
ERNESTVS TENZELL,  
JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-  
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-  
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS  
CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,  
Acad. Typogr.



PAVILLATIS PARIDICE

ET

DECANVS

ERNESTVS TENZEL

1678

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MONTANI CONSILIARIVS RE-  
GIVS IVDICII PROVINCIÆ ERFORDIAE  
SIS ASSessor. ACADEMIE CIVITATIS  
CONSUL PRIMARIVS.

L. B. 1.



ERFORDIAE  
Typis ION. CHRISTOPH. HERINGII  
1678







**U**od JCtus Pomponius in l. i. ff. soluto  
matrim. asserit: Dotis causam semper esse  
ubique precipuum esse, nam esse publice  
interesse, dotes mulieribus conservari, cum  
dotatar esse feminas ad sobolem procrean-  
dam, replendamque liberti Civitatem, ma-  
ximè sit necessarium: vix in dubium vo-  
cari posse putares, præsertim cum

optima ratione Jure Justin. statutum habeatur, quod dos sit  
luco alimentorum, earumque eadem sit ratio. *Gloss. in l. ob as*  
*l. de præd. min. Carpz. p. 2. c. 46. def. 20. n. 16. & p. 4. c. 26. def. 2. n. 4.*  
& æquiperetur caulis studiorum, *Bart. & Dd. comm. in l. 2.*  
*ff. solat. matr. & caulis piis, Bald. in l. sicut ab initio in f. C. de*  
*O. & A. Fisci insuper privilegiis gaudere dicatur, l. 9. de*  
*Jur. dot. l. 2. c. in quib. caus. pign. tue. quin & doti, causa ali-*  
*quando fisco sit potior, l. 9. C. de Jur. dot. magisque privi-*  
*legiata, arg. l. un. C. de rei ux. act.* Atque hæc omnia æquita-  
ti naturali quam optime esse convenientia, dubio adeo vix  
carere videatur, ut nec in contrariam sententiam, quo-  
cunque ratione secti aliquem potuisse credideris. Sed ut  
Mundus plerumque opinionibus regitur, fuerunt, nihil-  
ominus qui virgines sine dote nubere debere, voluerunt.  
Hinc quod *Solon & Lycurgus* legibus caverint, fertur, ut  
virgines indotatu nubere & sponsa strem colum, & su-  
sum, tres vestes, & quadam vilioris pretii vasa, adportaret  
sponso. Sic & *Ægyptios* adeo dotes averfatos, ut qui eas  
ac-



acciperent, veluti mancipia addicerentur, traditur. Ratio fertur, tum ne locupletiores pauperibus relictis praefererentur, tum ut consortium viri, & uxoris, solâ gratiâ, & benevolentiam liberorumque charitate aestimaretur, seu, ut non censitis, sed morum, ac generis, & formæ ratio haberetur vid. *Habn. ad Wesf. Tit. de Jur. dot.* Sed quæ debilis ratio! Nemo negabit, in nulla Republica æqualitatem generis, & Civium inveniri, sed semper esse qui genere, virtutibus & facultatibus prævalent; quare non eorum potior sit etiam in conservando Familia splendore, & in propoganda subole ratio? & quare gratia & benevolentia non etiam habito respectu ad cætera paria aestimanda cum ipsi illi censores, & generis, & morum respectum excludere non audeant, ac præterea generis ac morum eminentia, etiam fortunæ valorem asserre soleat. Et ab ista opinionis singularitate, pleræque gentes recesserunt, & inter ipsos Græcos *Sparhani*. Præterea Romani, & Alemanni, referente *Habnio* d. l. & aliis plerisque, experientia teste. Cum igitur Jus Civile Justinianicum magnæ sit auctoritatis quatenus collectum est ex præceptis Naturæ, & Gentium Juris *s. f. J. de Just. & J.* & ex hac ratione etiam in plerisque Europæ Regnis receptum sit, ita tamen ut hoc in imperio nostro Romano Germanico, ita generaliter non sit intelligendum, quasi ex illo, veteri rationabili Germaniæ Consuetudine plane exulante, omnes casus sint decidendi, sed ut hac demum deficiente, in subsidium demum recurratur ad jus Civile Justinianicum. Et talis casus occurrit inter alios circa discrimina bonorum uxoriõrum; Sicut enim Romani duo genera, bonorum uxoris referunt, unum in rebus dotalibus, ubi dominium & Patrimonium in maritum transit, ut minus perfecte, dominio naturali penes uxorem manente, ita ut maritus illa bona dotalia alienare aut appignorate nequeat. *L. 30. C. de Jure dot.* Alterum rerum Paraphernalium, quarum dominium plenum uxor retinet, perfecteque de iis disponere & maritum, ne illarum dispositioni sese immisceat, prohibere potest. *l. 8. C. de pact. Conv.* Si tamen non prohibet, maritus legi-



legitimus administrator est, & uxori rationes administratio-  
nis suæ reddit. *l. 95. pr. ad L. F. ale.* Germani vero veteres,  
præsertim Saxones, nullum inter bona uxoris discrimen  
agnoverunt uti patet ex *Spec. Saxon. lib. 1. art. 11. §. Wenn  
ein Mann ic. & Lib. 3. art. 74. §. Man soll ihr auch ic.* An  
autem illud universa Juris Germanici consuetudine recep-  
tum fuerit, quod nonnulli asserunt, dubio non caret. Præ-  
sertim cum Jus Germanicum in multis Provinciis ab usu  
recesserit, retento Jure Justin. Ad minimum in Saxonia  
introducitur, quod marito in bonis etiam paraphernali-  
bus usufructus competat, manente tamen inter bona do-  
talia, & bona Paraphernalia differentia, quod horum do-  
minium maritus non consequatur, sicuti & in concursu  
creditorum pinguius jus bona dotalia præ paraphernalibus  
habeat, & tandem omnia bona ab uxore tempore ma-  
trimonii initi illata, pro dotalibus reputentur, quæ verò  
postea acquirunt, paraphernalia habeantur. Fuisse verò &  
receptitia, postea usu ac consuetudine ad minimum in-  
troducitur, experientia docet. Caterum cum dictum fue-  
rit, quod maritus res dotales (immobiles) alienare non  
possit, hinc quaeritur si nihilominus consentiente uxore,  
accedente hujus juramento alienaverit, an uxor repetere  
illa bona nihilominus possit. Negat hoc Menke ad ff. *T. de  
fundo dot. §. 3.* Propter *cap. 28. X. de jurejur. cap. 2. de ju-  
rej. in. 6.* Cujus sententiæ etiam est Philipp. ad *inst. lib. 2. Ec-  
clog. 40. n. 8.* cum aliis, de quo tamen dubium haud exi-  
guum existit, cum contra salutem publicam juramentum  
validum esse non possit. v. *Fusar. de Substit. Qu. 308. n. 26.*  
nec quod redundat in præjudicium tertii *Card. Manric. de  
tac. S. amb. Conv. p. 4. effect. 110.* Sic multo magis quod sit  
contra prohibitionem superioris. Sed plura de hisce in  
Lectione sua Cursoria ad *Cap. licet 2. de Jurej. in 6. pro-*

NO.



NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DOMINVS  
JO. GOTTLOB FIEBIGER VS,

*Reichenb. Lusat.*

Cujus Vita Curriculum breviter more recepto hic recensendum. Natus scilicet est anno MDCLXXXIX. die 7. Jan. in Oppido Superioris Lusatiae Reichenbach dicto, quod Dominum proprietarium veneratur Illustriss. ac Generosissimum Dominum GEORGIUM ERNESTUM, à GERSDORFF, in Reichenbach / Ober- und Niederdorff, Oeslisch / & reliqu. Capitaneum Principatus Görlicensis dignissimum, & S. R. M. Polonia, & Electoris Saxon. Consiliarium. Parentem habuit, P. M. Dn. M. JOH. ADAMVM FIEBIGERVM, Pastorem ibi Primarium, Matrem V. DOROTHEAM, Viri Nobiliss. ac Consultiss. JOACHIMI GÜNTHERI, Jcti & Consulis Civitatis Laubanensis graviss. filiam, natu minimam. Vix octodecim Menses egressus, Parente optimo orbatus, in ades Avi materni receptus fuit. Postea vitricum, Virum Nobilissimum, doctissimumque Dn. M. JOHANNEM PAULVM GUMPRECHT, Rectorem de Lyceo Laubanensi praclare meritum nactus, sub ejus auspiciis in lingua Latina, Graeca atque Hebraica, nec non in Historia Ecclesiastica ac Poësi, felices fecit progressus, usque dum sub manu ductione Viri Nobilissimi doctissimique, Dni. M. GODOFREDI BOETTNERI, Conrectoris ejusdem Lycei celeberrimi, in Philosophicis, Historia Universali, aliisque studiis elegantioribus, solida jecerit fundamenta. Insigni Historia Literaria amore ductus, catalogum eruditorum, πολυτεκνία congesserat, cui vitricus Schediafina de πολυτεκνία Eruditorum deinceps pramittebat, quod tandem in Disputatione valedictoria à Neo Candidato Academiae, publice defendebatur. A. MDCCXV. jamjam albo Universitatis Lipsiensis inscriptus erat. Et Ao. MDCCXVII. se eò recepit, ibique per triennium, partim publice, partim privatim, nunc in Philosophicis, nunc in

X 3

utroque



utroque jure famigeratissimos audivit Antecessores, MEN-  
KENIOS nempe, SCHACHERVM, RECHENBERGIUM,  
OLEARIUM, SCHREITERVM, RVDIGERYM. Præpri-  
mis piissima mente veneratur, Virum tunc Lipsiæ de-  
gentem, Excellentissimum Dn. Doct. CHRISTIA-  
NVM GODOFREDVM HOFFMANNVM, nunc Sacr. Regiæ Prus-  
siacæ Majestatis Consiliarium intimum, & in Academia  
Viadrina Antecessorem Primarium, ex Matre Nepotem, co-  
lendissimum; Sub cujus manu ductione Historiâ Juris &  
Jure Naturæ necessariis, imbuebatur; Maxime vero ab ore  
Viri Nobiliss. ac Consultiss. Dn. D. ABRAHAMI KESTNE-  
RI, Jcti, & Practici famigeratissimi pependit, cujus fide-  
lissimam instructionem cum in interpretandis institutio-  
nibus, atque Pandectis, tum etiam ad praxin manu ductione,  
nunquam oblivioni se traditurum, publice profitetur. Ab-  
soluto triennio, Laubam reversus, statim in numerum  
Advocatorum ordinariorum receptus fuit; Paulo post A.  
MDCCXXI. præstitis præstandis, Advocatis Ordinariis Cur-  
riæ Supremæ Provincialis, Superioris Lusatia adjunctus,  
per decem fere annos non solum causas in foro perora-  
vit, sed & plurimis in locis Justitiarum vices obtinuit. Anno  
MDCCXXV. Matre orbatus dilectissimâ, postquam ano-  
precedente uxorem duxerat CHRISTINAM  
ELEONORAM, Viri plurimum Reverendi, Dn.  
MARTINI HANGKII, Pastoris Evangelici ante por-  
tas Glogavienses in Silesia olim meritissimi, quam ve-  
ro ut & bigam filiorum, præmatura mors anno 1729. cum  
insigni fidelissimi mariti dolore, infausso fidere, eripuit.  
Tandem vero honores Academicos supremos desiderans,  
Facultati nostræ mentem suam aperuit. Transmissimus ipsi,  
ex utroque Jure, Canonico & Civili more consueto textus  
in examine rigorofo explicandos. Quos explicavit optime,  
ac in ipso examine talem in Jure Scientiam Facultati com-  
probavit, ut dignus judicatus fuerit, qui ad ulteriora spe-  
cimina, inauguralia, imo ad ipsum Gradum Doctoralem  
Janua aperienda sit. Pro complemento itaque hujus de-  
siderii, proximo die Lunæ 16. Oct. Lectionem curso-  
riam



riam ad *Cap. Licet. 2. de Jure Jur. in bio. & ea finita* Di-  
sputationem Inauguralem

**DE QVÆSTIONE**  
**AN ET QVATENVS VIDVA SVPER-**  
**STES DEFVNCTO MARITO REPETERE**  
**POSSIT ILLATA SECVNDVM STATV-**  
**TA LAVBANENSIA *Cap. II. §. 2.***

habebit. Quibus Actibus solemnibus, ut interesse velint  
Magnificus & Reverendiss. Universitatis Nostra Dn. Re-  
ctor, reliqui Proceres, ac Cives, ea qua par est reverentia,  
ac humanitate invitantur. Public. Dom. XIX. post Trin. d.  
15. Octobr. Anno MDCCXXX. sub Sigillo Facultatis Ju-  
ridicæ.

L.S.



ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle

003 749 266

3



TA → OL









26

1730, 25

FACULTATIS JURIDICÆ  
P. T.  
DECANVS,  
ERNESTVS TENZELL,  
JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-  
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-  
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS  
CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,  
Acad. Typogr.

